



[Faint, illegible text on a large, aged, cream-colored page, possibly bleed-through from the reverse side.]

16
1.
2.
16
1.
16
2.
16
1.
16
1.
16
1.
16
1.



499.

THESES

6

79.

De

M

IVRE PVBLICO.

D. O. M. A.

1611 2

Permissu superiorum

PRÆSIDE

Clarissimo & Consultissimo Viro

DN. CVNRADO RITTERS-

HVSIO JC. ANTECESSORE

& Consiliario Norico, Præceptore
suo observando

[3]

Publica disquisitioni subjecta

à

WOLFGANGO-HEINRICO Ruprecht,
Suinfurtensi Francone.

*In Academia Altorphina auditorio ICtorum
Welseriano.*

Ad diem XIX, Martii,

ANNO

M D C X I,

ALTORFII,

3

Apud Cunradum Agricola.



Clarissimo Viro

DN. GEORGIO Ruprecht/
JUNIORI, V. J. D. FRATRI
SVO GERMANO

NEC NON

Prudentissimo Viro

DN. JOHANNI Merken/ CIVI
AC SENATORI SVINFVR-
TENSIS, SORORIO
SVO.

Has de Jure Publico theses

Honoris & Amoris testif. gratiâ

dedicatur

Wolfgangus Henricus
Ruprecht / auctor &
Respondens.

M D C X I

ALTORE

Agri-... ..



DE JURE PUBLICO.

THE SIS I.

VIta civilis in societate est: Societas in commercio & imperio. ^aVnde prudentia cōmunis, (societatis humana conservatrix. ^b) duplex: altera œconomica ad commercium: altera Politica ad imperiū spectans. ^cEodem planè sensu ^dCivis jus humanum ^d aliud publicum, aliud privatum. Publicū est quod ad statum rei Romana spectat. ^e

a) Lips. 2. civ. doct., sive polit. 1. (b) v. Lips. 3. c. D. 1. (c) Aristot. 6. Ethic. ad Nicomach. 8. (d) v. Donell. 2. comm. 3. (e) l. 1. § huius studii. ff. de J. & J. § huius studii. J. cod.

II.

Jus publicum, (de quo in Pandectis tractari manifestum est. ^a) in sacris sacerdotibus & magistratibus consistere Ulpianus scribit. ^b Vitiōsè. Nam jus sacrum, quod circa sacra & sacerdotes versatur, ad publicum non pertinet. ^c Ad illud autem pertinent res publica, quas Ulp. silentio perperam præterit.

a) Wesenb. in π ff. de J. & J. nu. 14. sibi in π . ff. d. juris. num. 4. contrarius nullam in Digestis de jure publico tractationem institutam esse scribit. Sed Cabot. 1. disp. jur. publ. & priv. 1. distinguit inter jus merè publicū: & jus publicum ad privatum deflectens. Illud in Pandectis omissum

esse putat; Hoc verò non item. Ego indistinctè statuo, juris publici tractationem etiam Pandectis esse insertam, sed brevissimã. Non, quòd Pandectę sint compilatę ex J Ctorũ lib. quorum officiũ olim (Hodiè secus est, Bart. in tr. de regim. civ. nu 6. P. Heig. q. jur. civ. et Saxon. p. 1. q. 11. in pr.) diversum erat ab officio moderatoris Reip. in quo juris publici cognitio requirebatur, teste Anton. apud Cic. 1. de orat. Legimus .n. apud eundem Cice. 3. de orat. & Pomp. in l. 2. § post hos quoq; 46. ff. de O. J. multos J Ctos fuisse non tantum juris privati, sed & publici peritissimos. Sed, quod magna in publicis rebus facta fuerit mutatio, post veterum prudentum, ex quibus ff. constant, tempora; vt sic non potuerint multa in Pandectis poni de jure publico, vtpote jam quadantenus ab rogato aut mutato l. 1. § Sed si quę. 10. C. de vet. jur. E-nucl. Accedit, quod vetuerint Imp. ea Pandectis inseri, de quibus cautum est in libris Codicis l. 6. § similiq; modo, 15. C. d. tit. Extat autem juris publici expositio plenior in Codice. Giphon. in Oecon. lib. 49. ff. Quamvis & in eo parcitius de jure publico, quam de privato actum fuerit, fortè quod jus publicum minus sit in vsu necessarium Cicer. 1. de LL. ideoq; prolixius non tractandum arg. l. legavi. 25. ff. de liberat. leg. aut verius. quod Impp. vt L. Regia legibus solut. l. princeps, 31. ff. de LL. maluerint Rempub. regere arbitrio, quam scriptis legibus Cabot. d. lib. 1. disp. jur. pub. & privat. c. 1. Welenb. in Oecon. lib. 1. C. (b) in l. 1. § huius studii, ff. de J. & J. (c) l. vt inter. 20. C. de SS. Eccles. Juris publici enim finis est vtilitas publica Cic. 3. de LL. d. l. 1. § huius studii, ibi: publicè vtilia &c. Sed juris sacri finis principalis est cognitio & cultus Dei v. Donell. 2. comm. 3. & 6. Fr. Rosell. disp. de J. publ. th. 10. Gratianus quidem jus sacrum sub publico cõprehendit in c. jus publicum dist. 1. Nec mirũ, Cum hoc ipsius postulaverit religio, cuius vestigia imitari nos non decet. Quis enim ignorat, jus sacrum Pontificiorũ, (e quorum numero fuit Gratianus Monachus Bononiensis

Vult.

Vult. in proleg. J, R. de studio jur.) excogitatum esse, non in honorem Dei, sed ad firmandum regnum Pontificium: ideoque pro varietate temporum sæpè variatum Rosell. d. disp. th. 11. post Alberic. de Rosat. in l. benè à Zenone. nu. 18. C. de quadr. proscript. Marsil. de Manandro Patavin. p. 2. defens. pacis, c. 2. & c. 5. aut. Bruti fulm. sub tit. crimen sacrilegii. pag 84 & seqq. Ulpianum quid moverit, quod iuri publico, sacrum subjunxerit, non satis constat. Nam Romani, cæteroquin Ethnici, religionem pro tempore interpretati non sunt, sed sacris imperia servire non dubitârunt, omniaq; post religionem ponenda duxerunt, etiam in quibus summæ majestatis decus conspici voluerunt, si credimus Valerio Maximo & Arnoldo Clapmario. 5. de arcan. Rerump. 4. adversus Machiavellum, Donellum 2. comm. 6. et Fr. Rosellum d. th. 10. (d) Fr. Rosell, in disp. sua de J. publ. th. 12 & 60. Diff. Cyn. in l. 1. § huius studii, ff. de J. & J. Arnold. Clapmar. lib. 1. de arcan. rerumpub. c. 21. Videtur & plura omisisse Ulpian. in sua juris publici circumscriptione, quasdam nimirum personas ad Reipub. statum pertinentes, ut opifices, negotiatores &c. Sed rectè hanc in rem Bartolus in tr. testimon. num. 91. Alii, scribit, sunt negotiatores, alii alia ministeria exercentes; Hi sunt omnes actus ad civilem vitam ordinandam. Licet tamen prædicta ad finem civilis boni inventa sint: tamen homines utuntur his ad finem proprii boni, scil. ut propriam substantiam augeant: & sic secundum usum pertinet magis ad prudentiam Oeconomicam, ita Bart,

III.

*Consistit igitur jus publicum in magistratib.
Et rebus publicis. Magistratus aut est summus
a aut Inferior. Summus^b summam in tota Rep.
autoritatem et Imperium obtinet. Inferior par-
ti Reipub. præest.^c*

A 3 Qui



a) Qui summam in Repub. potestatem obtinet, non quidem propriè magistratus dicitur, vt docet Magnificus Dn. Prorektor & Doctor noster Scip. Gentil. 2. de iurisd. 27. Attamen hîc magistratus nomen illi tribuimus, non secus ac successionem ex testamento dicimus legitimâ, quamvis tantum successio ab intestato propriè legitima dicatur l. lege obvenire. 130. vbi Gœd. ff. de v. s. (b) Qui est vel Monarchicus, vel Polyarchicus; & hic vel Aristocraticus; vel Democraticus. Aristot. 3. Polit. 5. Althus. c. 32, Polit. & l. 1. J. R. c. 8. Solent autem Politici disputare, quænam Reip. forma, inter Monarchiam, Aristocratiam & Democratiam sit optima? Mixtam ex illis tribus præfert Polyb. l. 6. Monarchiam cæteris anteponunt Hieron. Cagnol. de regim. boni princ. num. 46. Lips. 2. polit. 2. P. Gregor. lib. 5. de Repub. c. 3. & 4. & lib. 21. Syntax. art. mirab. c. 4. Fr. Patrit. lib. 1. de regno & regis instit. tit. 3. Pro quibus facit c. in apibus, 7. q. 1. Aristocratia palmam defert clariss. affinis meus Ioh. Bapt. Lenccius obs. polit. 282. & Frideric. Tilem. disp. Pand. 2. th. 10. p. 1. qui etiam scribit Apostolorum statum fuisse Aristocraticum, auctoritate Jo. Calvini lib. 4. instit. 6. § 9. & c. 20. § 8. cui adde Guliel. Witakerum de Pontif. Rom. controv. 1. advers. Bellar. & Abrah. Scultet. in Synthesi doctrinæ Epiphaniæ c. 21. Democratiam laudat Machiavellus in discurs. ad Livium. Lambertus Danaus. 1. polit. Christ. c. vlt. considerandam suadet naturam assuefactionem populorum, virtutem, libertatem, divitias, nobilitatem, magnitudinem loci, aliasq; circumstantias: & his convenientem Reip. statum deligendum esse, pugnantem, vel non constituendum, vel constitutum statim tollendum ac mutandum. His jungantur quæ scribunt Aristot. lib. 4. polit. c. 1. & 12. Bodin. 5. de Repub. c. 1. Fr. Patric. lib. 1. de instit. Reipub. tit. 41 Bart. in tr. de regim. civit. num. 15. & seqq. Tilem. s̄ cit. loco. Ego hæc Politicis dijudicanda relinquo, (c) v. Vult. 1. J. R. 11. & 12.

Magistra-

IV.

Magistratus summi^a (ut in Imperio Romano, principis^b) hæc ferè jura^c sunt: Leges condere, easq; interpretari, abolere: ^d Bella indicere ac finire: ^e Magistratus constituere: ^f Monetas cudere. ^g vectigalia & tributa exigere: ^h Potestatem vitæ & necis, & provocationem extremam habere: ⁱ & c.

a) Sive is sit Monarchicus, sive Polyarchicus. Nam quoad imperii jura Rerumpub. species non discriminantur. Frider. Tilem. p. 1. disp. 2. Pand. th. 8. (b) Principem (scil. Romanum) legib. solutum esse Ulpian scribit in l. princeps, 31. ff. d. LL. sed quibus? An legib. caducariis, Julia nimirum & Papia? ut vult Cuiac. 15. obs. 30. An legib. pœnariis? ut Græci interpp accipiunt. An tantum solennitatibus legum? ut opinatur Coraf. 2. miscell. 4. & 5. & Donell. 1. comm. 17. An verò legib. tantum videtur esse solutus? ut existimat Gothof. in d. l. 31. Puto principem omnibus legibus merè positivis solutum esse, non verò divinis, naturalibus & geneticis, cum Vult. in § sed & quod principi. J. d. 1. N.G. & Civili. Fachin. 1. contrav. 2. & præceptore meo Dn. Gottfrido Müllero disp. feudal. 2. th. 1. Hinc cum contractus ferè omnes sint juris gentium l. ex hoc jure. 5. ff. de J. & J. sequitur principem contractum suum servare teneri. Lopez. l. 1. animadvers. c. 35. Diss. Bart. in l. Cæsar. ff. de publican. & vectigal. A. Gail. 2. obs. 127. num. 8. Cæterum principatus seu Imperii Romani axioma, sive Monarchia Romana, translata est à Græcis ad Germanos, non beneficio Papæ, ut ineptè gloriantur Pontificii Alphonsus Alvarez cap. 6. specul. summ. Pontif. & Imp. per cap. venerabilem, 34. § verum illis, vbi Innocent. & Panorm. num. 18. X.

18. X. de elect. ac novissime Rob. Bellarminus singulari li-
bro, quem refutarunt nostri, ex professo Francisc. Junius
Biturix; sed jure belli & victoriæ, Dresser. Isag. hist. millen,
5, & sic justo titulo, § item ea. 17. J. de rer. divisi. An autem
illa Romanorum Monarchia, etiamnum sit penes Germa-
nos? disputatur. P. Costal. in l. de quibus. 32. ff. de LL. o-
mninò dubitat, an adhuc sit Imperium Romanum, aut vbi-
nam sit. Bodinus verò c. 7. methodi historiarum & 2. de
Repub. 6. & 4. de Repub. 2. negat Imperatorem Germa-
nicum Monarcham esse. Sed pro Monarchia Romana ad-
huc durante apud Germanos, acerrimè pugnant Osiander
ad c. 7. Daniel. Phil. Melanrh, in præfat. Chronic. Carion;
Matth. Dresser, in orat. de quatuor Monarch. & in peculia-
ri sua de quarta Monarchia orat. Schleidan. de 4. summ. Im-
per. lib. 3. & passim per to. tr. Bart in l. hostes. 24. num. 3.
& seqq. ff. de capt. & postlim. revers. & super const. ad re-
prim. ad § totius orbis nu. 8. Hostiens. in c. per venerabi-
lem. § videbatur. X qui filii sint legit. Panorm. cons. 51. nu.
1. p. 2. Felin. in c. cum non liceat. 12. num. 10 & seq. X. de
præscrip. Goden cons. 1. sub tit. quom. & qual. Imp. & reg.
Roman. primò fuer. ap. pop. Rom. nu. 5. 6. & 7. Fr. Zoan-
netus in tr. de Rom. Imp. nu. 48 & 135. Georg Lorich. cons.
2. de vindic. Germ. in exteros Heig q. 2. num. 18. & seqq.
p. 1. P. Gregor. lib. 6. de Repub. c. 13. Treutl Vol. 1. Disp.
1. th. 5. lit. a. Ego hanc litem meam non facio, sed eam aliis,
juris Germanico-Roma, publici peritis relinquo. (c) Vocan-
tur jura maiestatis, regalia majora, jura Imperii Dd. in c. vn.
quæ sint regal. A. Clapmar. 1. de arcan. rerumpub. 10. Sunt-
que hæc jura maiestatis ita propria, vt individua sint, & com-
municari cum nemine vnquam possint Cyn. in l. si viva
matre. 3. C. de bon. matern. Bald. in l. omnes. 4. C. de
præscript. 30 annor. Neq; tamen hinc, neq; aliunde rectè
colliges, adversus Principes superiorem recognoscentes, læ-
sæ maiestatis crimen (de quo vt & aliis criminibus publicis
v. Vult.

v. Vult. 1 J R. 47 & 2. J R. 19 non committi Gothofr. ad
l. 1. ff. ad L. lul. majest. Diss. Socin 2. conf. 275. Mynsing.
Resp 44. (d) l. 1. 3. 8. & vlt. C. de LL. l. placuit. C. de judic.
Localem tamen legem (quam statutum appellare solemus,
c. vt animarum, 2. de constit. in 6.) etiam magistratus infe-
rior, in suo territorio perpetuam dignitatem & jurisdictionem
habens condere potest Bart. in l. omnes. 9. num. 8. ff.
de J. & J. Borch. c. 5. de feud. num. 37. And. Gail. 1. de P. P. c.
6. num. 10. dummodo adhibeat superioris consensum arg.
c. cum consuetudinis. 9. X. de consuet. Bart. in d. l. omnes.
9. num. 7. ff. de J. & J. Bald in l. 2. in 3. notab. C. eod. al-
legati à Wesenb. in ~~ca.~~ num. 3. ff. de LL. Diss. Jason. in d. l.
omnes num. 26. & Bolognet. ibid. Hic non incommode
quæritur: An interlocutio Principis, quando scilicet inter duos
de re aliqua interloquitur, habeat vim legis generalis? Neg.
nisi princeps expressè dixerit, se illam interlocutionem vim
legis generalis obtinere velle. l. 2. & 3. C. de LL. lul. Pac. 1.
Antin. 17. Diss. Duaren. in comment. ad tit. ff. de Constit.
princip. (e) l. neminem 17. C. de re milit. lib. 12. Wesembec.
conf. 46 n. 8. Nec enim bellum justum est: nisi quibus neces-
sarium. Samnit. apud Liv. lib. 9. decad. 1 in prin sed qui supe-
riorem recognoscunt, possunt coram eo institutis actioni-
bus res repetere, injuriasq; sibi factas vlcisci l. 13 ff. quod met.
caus. l. 14. C. de lud. Lamb. Dan. 7. Polit. Christ. 3. Est autem
jure belli indicendi nullum ferè majus jus majestatis. In bel-
lorum siquidem suscipiendorum rationibus, univ. Reipub
salus vertitur. Quo itaque res ista periculosioris aleæ
plenior, eò majore consilio atque deliberatione suscipienda,
Herm. Kirchner. disput. Polit. 2. th. 5. lit. Q. Videatur. de re
militari P. Gregor lib. 19. Syntagm. & lib. 11. de Repub & in-
tegr. hac de re cõscripti tractatus D. Alberici Gentilis, Geor-
gii Obrechtii, Henrici Boceri, &c. & passim feudistæ: Ex qui-
bus seqq placet excerpere quæstiones. 1. Q. Num Pontifi-
ci jus bellandi competat? N. arma enim Pontificis debent
B esse

esse fletus, orationes, lachrymæ c. non pila. c. reprehensibile. c. conveniens. 23. q. 8. c. si quis vult. distinct. 36. Diff. Alphonsi, Aluarez, c. 16. de potest. & jure Pontif. num. 7. II. Q. Num omnes evocati à principe ad bellum ire teneantur? Et quidem jure Romano ferè omnes, (paucis exceptis de quibus Vigel. p. 1. meth. 1. ciu. lib. 3. c. 20.) coacti fuerunt ad militiam, & pro gravi delicto habitum detrectare munus militiæ, adeò ut C. Vettienus æternis vinculis à Senatu Romano punitus fuerit, ejusque bona publicata, quod sinistra manus digitos, ne bello Italico militaret sibi absciderat, referente Valer. Maxim. lib. 6. c. 3. Censuit enim Senatus, inquit Historicus, eum, qui honestè spiritum in acie profundere noluit, turpiter in catenis consumere spiritum suum debere. Sed hodie distinguendum est: aut enim invaditur principatus, nec militum copia haberi potest: aut non. Priori casu omnes idonei cogi possunt ad militiam. Posteriori casu, nobiles tantum & habentes feuda militaria, obnoxia huic muneri: reliqui, principi vectigalia & indictiones solvunt, vt ab hoc munere sublevantur Panormit. in c. sicut & infra num. fin. X. de jurejur. P. Gregor. lib. 11. de Rep. c. 3. num. 12. vid. Clariss. Dn. Præl & Præcept. mei, Conradi Rittershusii, partit. feud. lib. 2. c. 1. III. Q. Num negotiatores possint militare? Negativam indistinctè (nulla videlicet inter negotiatores habita differentia) contra Viglium ad rubric. num. 15. l. de testament. milit. amplector, cum Accursio in l. milites. 45. ff. ex quibus causis major. 25. ann. & c. & in l. si cohortalis. 12. §. sed etiam. C. de cohortal. lib. 12. Claud. Cotereo lib. 1. de jure & privileg. milit. c. 8. Luca de Penna, in l. un. num. 1. C. negot. ne milit. Paride de Puteo in tract. de re milit. lib. 1. sub rubr. an. viri negotiatores, & c. num. 2. P. Gregor. 4. de Repub. 7. num. 6. & sequen. per text. l. un. C. negot. ne milit. & l. si cohortalis. 12. C. de cohortal. lib. 12. Sunt enim negotiatores ut plurimum debiles & invalidi, ideoque malo facillè succumbunt, ob vitæ suavitatem

01.
tatem in militia deficientem Coter. dicto loco. Quo sensu
Lips. 5 Polit. 12. scribit, hanc etiam notam in militibus esse
attendendam, quo scilicet genere quæstus aut artis sese susten-
tent. Nam ad mollitiem aut duritiem, ignaviam & fero-
ciam haud leviter hoc facit. Hodie tamen & opifices & ne-
gociatores ad militare cingulum admittuntur. Viglius cit.
loco. Sed vide super hodierna militia querelam Justi Li-
psii 5. Polit. 8. IV. Q. Num omnes res indistinctè, siue mo-
biles sint, siue immobiles in bello captæ fiant capientium?
Aff. argum. §. item ea. 18 J. de rerum divisione. l. natura-
lem. 5. §. in fin. & l. 7. ff. de acquir. rerum dominio. Don. 4.
Comm. 21. Aristoteles 4. Polit. 4. Et mobiles quidem ita
sunt capientium priuatorum, ut Imperatoris vel Ducis af-
signatione minimè opus sit Gerdeus in l. 3. §. eius qui. num.
11. ff. de Verb. Signif. Diff. Bartolus in l. naturalem. 5. §. finali.
in prima & secunda lectura. ff. de acquirendo dominio. Bal-
dus in §. item ea. num. 6 & 7. Inst. de rerum divisione. Im-
mobiles verò, non sunt privatæ sed publicæ leg. si capti-
vus. 20. §. 1. ff. de captiv. & postlim. rev. Donellus 4. Com-
men. 21. V. Q. An fides hosti, data sit servanda? Affirmo
per cap. noli. 23. quæst. 2. Hottman. ill. quæst. 7. Hinc con-
cludo, captivum ab hoste legitimo, hac cum conditione, ut
λύτρον solueret dimissum, redire ad solutionem teneri.
Trentler. vol. 1. disput. 6. thes. 7. litera a. Diff. Bartol Bald. &
Alex in locis ap. Trentl. ibid. alleg. Ut autem ab illa conven-
tione dimissus recedere non potest, ita neque dimittens.
Vnde etiam si hic illius facultates majores, quam putarat,
postea deprehenderit, tenebitur tamen priori conventioni
stare, nec summam ampliare poterit, ut rectè judicarunt
Assessores Parlamenti Gracionopolitani, teste Guid. Papa
decis 113. incip. in facto guerrarum. VI. Q. Vtrum prin-
ceps captivus pacem contrahens restitutionem ex edicto
de vi & metu prætereundere possit? Affirmant Dd. communi

B 2

Bart.

Bart. in l. convent. ff. de pact. Bald. consil. 364. Dec. cons. 219.
sed ex imperitiâ juris fœcialis, ut optimè demonstrat Bodin.
lib. 5. de Repub. c. 6. n. 596. VII. Q. Dux Brabantia, Imper.
Romani & Regis Franciæ Vasallus, confœderationem fe-
cit cum Anglis, antiquis regum Franciæ hostibus: quæritur,
an commiserit feloniam, ita ut feudis, quæ habuit à rege
Franciæ, potuerit priuari? Nego Injicit enim illud fœdus, non
ut regis Franciæ, sed ut Imp. Romani Vasallus. pulchrè Ni-
col. Euerard. à Middelb. in loco de tanquam seu respect.
VIII. Q. Num veneno hostem liceat occidere? N. contra
Bald. Defensio enim in bello esse debet. At contra vene-
num nemo se tuetur. l. 1. §. 17. ff. ad S. C. Syllan, Fr. Rosell.
thes. 52. de jure publ. Istiusmodi scelaratissimis artibus, velu-
ti Medæ taberna, Papatus plenissimus, testibus scriptorib.
Vitar. Pap. Rom. Imò & sacris venena adhibere, illis Sacer-
dotibus nulla religio est. Injeto enim in calicem veneno,
dum rem divinam faceret, eo modò Victorem, Pontifi-
cem suum Divum fecerunt. v. Kirchner. disp. Polit. ult. hy-
poth. 5. lit. a. Tandem notandum Christianorum inter se
dissensiones, non tam bella esse, quam lanienas, ut rectè sen-
tit Wesemb. in ∞ . ff. de captiu. & postlim. reuerf. Et Anton.
Corset. in tr. de potestate regia, p. 5. n. 36. Non possunt, in-
quit, reges insurgere contra fideles, prout hodiè principes &
reges Christiani bella inter se gerunt. Vnde miratur Ho-
stiensis, qualiter à suis confessoribus absolvantur. v. Bartol.
in l. hostes, 24. in fin. ubi Alban. in addit. ff. de capt. & post-
lim. rev. Cœpolla in tr. de servit. vrb præd c. 1. n. 4. (f) l. 1. ff.
ad L. Jul. de ambitu. Bart. in l. 1. C. de dignitat. (g) c. un. quæ
sint regal. l. 2. C. de falsa moneta. l. 1. C. de vet. numism pote-
state. Vbi de hoc majestatis jure Dd. tractant, quærerere so-
lent: An creditis certo numero thaleris vel aureis, solutio
thaleris vel aureis fieri debeat, an verò alterius generis num-
mos, puta minutam reddete peccuniam debitor jure possit?
Prius negamus cum Hottm. ill. quæst. 15 Donell. in l. 3. n. 10.
ff. de

85.
ff. de reb. cred. Fachin. 2. controver. 49. Diff. Bart. & Gothofr. in l. 3. ff. de reb. cred. & idem Bart. in l. 1. §. ult. ff. de auro & arg. leg. Boër. decis. 327. Non procedit autem nostra sententia. 1. Si pacto conuenerit, ut in eadem forma præstetur pecuniæ æstimatio; tunc enim, si ea forma reperitur, in specie solvenda est, arg. l. 43. ff. de pact. l. 23. l. semper. ff. de R. l. Recess. imperii, Anno 1559. ubi habetur ordinatio monetæ. §. Die jetzt gemeine/re. ibi. Was hievor auffgetheidingt vnd verschrieben ist/re. Si verò amplius non reperiatur, æstimatio antiquæ monetæ in alia solui poterit Andr. Gail. 2. obser. 73. n. 6. Myns. cent. 1. obser. 61. & cent. 4. obl. 1. Toming. decis. 19. arg. l. si domus 71. §. qui confitetur. ff. de leg. 1. 2. Si maximum ex ea æstimationis præstatione damnum pateretur creditor, quod fieret, si minutissimam monetam solueret debitor, quam non ita commodè creditor erogare posset, aut aliò transferre, arg. l. 3. ff. de reb. cred. l. Paulus. 99. ff. de solut. d. ord. monet. §. Die jetzt gemeldte gemeine Reichsmünz/re. Hinc affinis est illa quæstio: An si nummorum mutatio contigerit ita ut creuerint vel decreuerint creditori sit offerenda æstimatio, quæ fuit tempore contractus, an quæ est tempore solutionis? Prius verum est Myns. 4. obl. 1. Andr. Gail. 2. obl. 73. n. 3. ubi tradunt hanc sententiam in Camera Imperiali approbatam esse. Approbata etiam ea est ab Augusto Electore in Saxonia, p. 2. const. 28. Assessionibus Grationopolitanis Guid. Pap. decis. 493. vers. concludo ergò. & Doctoribus commun. Gabriel. Roman lib. 3. comm. conclus. tit. de solut. & lib. 1. conclus. n. 1. Pinell. in l. 2. in Rub. p. 1. n. 21. & seq. C. de resc. vendit. Coraf. 3. miscell. 13. n. 5. Hottm. ill. quæst. 15. Regner. Sixtin. tr. de regalib. c. 9. n. 117. & seqq. Diff. Fachin & ab eo alleg. 2. controver. 9. (h) l. vectigalia. 10. in pr. ff. de public. l. 3. & tot. t. C. noua vect. inst. non posse, Clar. in. §. feudum. q. 29. n. 1. Myns. 1. obser. 29. n. 1. cum 4. seqq. Guido Papa decis. 197 & decis. 444. n. 1. in fin. cum n. seq. item decis. 551. n. 11. Consistit autem vectigal in pecunia numerata, nec

B 3

con-

consuetudine introduci potest, vt species loco vectigalis sol-
 vatur Henningus Gæden. cons. 7. & 8 Schneidervv. in §. ca-
 pite 3. n. 3. l. ad L. Aquil. Quæri hîc non incommodè potest.
 1. An princeps pro maritanda filia tributû imponere possit?
 2. An idem possit pro redemptione captivorum? Vtrumque
 affirmamus cum Boër. decis. 126. & decis. 128. 3. Num magi-
 stratus telonium suum, de uno eoq; consueto loco, absq; Im-
 peratoris consensu in alium transferre possit? Neg. arg. l. si
 cui. 9. §. 1. verum. ff. de servit. P. Frider. Mind. lib. 2. de man-
 dat. c. 42. n. 4. & 5. 4. Num culpa socii vel aurigæ, nautæ aut
 famuli res portantis, non autem proferentis eas ad telo-
 nium socio vel domino noceat? Neg. cum Rosenthal. c. 5.
 de feud. concl. 40. n. 4. in notat. ad lit. d. & conclus. 41. in fin.
 arg. l. fraudati 8. §. 1. ff. de publican. facit. l. sancimus. 22. C. de
 pœn. (i) vide Bodin. 7. de repub. 10. P. Gregor 9. de Repub.
 1. ubi de iurib. majestatis copiosè disserunt.

V.

*Ceterum magistratui à summo, (a) quàm infe-
 riori, competit jurisdictio, (b) quæ in genere (c)
 accepta, est notio civilium & criminaliû cau-
 sarû, cum statuendi & exequendi potestate. (d)*

(a) Ex jure scilicet quo summus magistratus est, Vult. r.
 J. R. II. circa fin. crassus igitur eorum error est, qui Imp. jurif-
 dictionẽ non habere scribunt. v. Obrecht. c. 6. de jurisd. n. 39.
 (b) A jure dicundo ita dicta, arg. l. 12. ff. de vulgari & pup. subst.
 Wes. in 2. ff. de jurisd. & in Oecon. lib. 2. ff. Obrecht. c. 1. de ju-
 risd. n. 6. Diss. ad l. 3. ff. de jurisd. gl. ad verb. mixtû est. & Bart.
 n. 3. Zas. in rubr. ff. eod. n. 1 (c) Jurisdictionis enim vocabulum
 & generis, & speciei loco ponitur, vt multa alia in jure Civili.
 Sub jurisdictione in genere accepta, tam mixtû, quàm me-
 rum Imperium tanquam species comprehéduntur, D. Scip.
 Genti. lib. 1. de jurisd. c. 2. Math. Steph. lib. 1. de jurisd. c. 3. Diss.
 Obrecht. c. 2. de jurisd. n. 13. Hinc sequitur concessio in feudû
 castro

86.
~~Cum omnimoda jurisdictione~~ etiam ceteri concessum merum Imperium Dn. Scip. Gentil de jurisd. 23. Vult. de feud. l. 1. c. 5. n. 5. Diss. Bald in c. quanto. n. 5 in fin. X. de judic. Sub generali tamen jurisdictionis omnimodæ concessione, regalia non venire, rectè docet Math. Stephani lib. 1. de jurisd. c. 2. n. 7. Quam sententiam memini etiam Dn. Georgium Ruprecht senior J. C. parentem meum, piæ memoriæ, cōsulendo secutū esse. (d) Dn. Scip. Gentil. lib. 1. de jurisd. c. 1.

VI.

Jurisdictio in genere accepta dividitur in jurisdictionem specialiter ita dictam, & merum Imperium. (a) Jurisdictio in specie ita dicta est notio civilium causarum, cui imperium mixtum coheret. (b) Merum Imperium est habere gladii potestatem ad animadvertendum in facinorosos homines. (c)

(a) Magnific. & Clariss. Dn. Prorektor & Præceptor noster Scip. Gentil. de jurisd. 2. ubi, non addo, inquit, tertiã speciem, id est, mixtū imperium. nam hoc idem est, quod jurisdictio, vel certè jurisdictioni sic cohærens, ut ab ea diuelli nō possit, rectèq; ab Accursio, Cujacio aliisq; dictū, quidquid est jurisdictionis etiam est mixti Imperij & viceversa. Minimè tamē inficior, in quibusdam causis imperium magis cōspici, & jurisdictionē p̄p̄modū occultari, quæ & inde magis Imperii, quã jurisdictionis esse dicuntur ab Vlpiano in l. 4. ff. de jurisd. ubi vocabulū Magis electiuè poni, neq; Bart. ad illā l. 4. neq; Math. Steph. lib. 1. de jurisd. c. 5. n. 38. adhuc mihi persuaferūt v. Scip. Gentil. lib. 1. de jurisd. c. 24. Thom. Michaël. concl. 99. de jurisd. lit. e. (b) l. 3. ff. de jurisd. (c) Ita merum Imperium, definit Vlpian. in d. l. 3. ubi tamen Bartol. & Dd. communi, merum Imperium definiri negant, proindè illud aliter definiunt, ut videre est ex Obrechtō cap. tertio, de jurisd. n. 18.

n 18, sed ego cum clarissi Præceptore meo Dn. Scip. Gentil. lib. 1. de jurisdic. c. 4. circa fin & lib 3. de jurisdic. c. 3. in princ. Math Steph. lib 1. de jurisdic. c. 6 n 19. & seqq. aliisq; Vlpiani definitionem pro perfecta agnoscerem, nisi vocabulum Homine, redundaret. Nullum enim, animal facinorolum esse potest, quam homo l. 1. si quadr. paup. fec. dic. c. firmissimè. & c. mulier. 15; q. 1.

VII.

Inter divisiones jurisdictionis reperitur Et illa: quod jurisdictionis alia sit propria, alia non propria. (a) Propria alicui jure suo proprio: (b) Impropria aliunde quam à lege vel principe (c) competit. Estq; hac vel mandata, (d) vel prorogata. (e)

(a) Vult 1. I. R. 12. arg. tit. ff. de off. ejus cui mand. est jurisd. & tit. decretal. de offic. ord. & de off. deleg. adde. l. 5. ff. de jurisdic. confer. quæ dicta sunt supra thes. 5. lit. a/ (b) Hanc princeps habet ex jure illo quo princeps est, nimirum ex L. Regia. §. sed & quod. l. de 1. N. gentium & Civil. l. 1. ff. de const. princ. Inferior verò magistratus, vel jure concessionis specialis, vel jure magistratus. Merum Imperium speciali lege, S. Cto, vel constitutione Principis competit. Mixtum Imperiū jure magistratus. l. 7. ff. de off. ejus cui mand. est jurisdic. An autem præscriptione acquiri possit jurisdictionis? disputant Dd. Quæ disputatio olim jure Romano inaudita fuit, imò absurda. Nostris verè temporibus & utilis & necessaria. Dn. Scip. Gentil. lib. 3. de jurisdic. c. 23. Tradunt autem Dd. acquiri præscriptione jurisdictionem & merum imperium, & quidem instar rei immobilis, unā cum territorio annis decem inter præsentates: inter absentes verò viginti: Bl in l. fin. C. de præscript. long. temp. sed citra territorium

rium, vt res incorporales, 30. vel 40. annis, cum titulo scilicet
& bona fide per l. fin. C. de præscript. long. temp. absq; titulo
verò aut eo, quod vicè tituli habet, immemoriali tempore.
l. hoc iure. §. ductus aque. ff. de aq. quod. c. cum olim. c. audi-
tis, c. audientium. X. de præscript. vide Math. Steph. lib. 1. de
jurisdict. c. 38. n. 33. & seqq. Quæ sententia vera est, quamvis
potius vi consuetudinis, quam juris autoritate expressa su-
stineatur. vide quæ in simili scribit Bald. Novell. in tract. de
dote. p. 6 priv. 44. Et profectò ejusmodi rationes è jure Ci-
vili, præsertim privato petita, in causis regnorum & popu-
lorum, non habent multum ponderis: sed factiones & pri-
vilegia potius & foedera, & sæpissimè jus armorum præua-
lent ac præpollent, vt eleganter scribit Dn. Præceptor. Scip.
Gentil. 3. de jurisdict. c. 22. in fin. & i. de jurisdict. c. 27. & di-
sp. de regal. thes. 65. Arnold. Clapmar. 4. de arcan. rerum-
pub. c. 1. & passim in illo tot. tract. (c) Vult. 1. J. R. 14. (d) Cano-
nes & Practici delegatam vocant. Est autem mandata ju-
risdictio quam quis habet nomine nò suo, sed alieno. Vult.
cit. loc. Cæterùm causas mixti Imperii mandari delegari vè
posse probat. l. 1. ff. de off. eius cui mand. est jurisdict. Covarr.
3. var. resolut. 20. Dn. Præceptor Scip. Gentil. 2. de jurisd. 24.
At meri Imperii causæ, neque jure Civili, d. l. 1. ff. de off.
eius, & c. l. nemo potest. 70. ff. de R. J. l. solent etiam. 6. ff. de
off. procons. neque jure Canonico arg. c. si pro debilitate. in
fin. X. de offic. deleg. c. 1. Clem. de hæret. neque etiam mori-
bus nostris Zas. in l. 3. ff. de jurisdict. licet contradicant D d.
communiter. Welenb. in w. ff. de off. eius cui mand. est ju-
risd. n. 4. & in w. ff. de jurisd. n. 11. delegari possunt, Dn. Scip.
Gentil. 3. de jurisdict. 29. etiam si is qui publici iudicii habet
exercitionem adversa labore valetudine Dn. Præceptor
Scip. Genti. d. lib. 3. de jurisd. 28. (e) vide Vult. 1. l. R. c. 14. n. 17.
Prorogatio autem non rectè fit privato Vult. cit. loco ~~Cod.~~
~~ad c. n. 14. X. de sequestrat.~~ De illo dubitatur: An rectè
C fiat

fiat prorogatio jurisdictionis delegato, cui scilicet à magistratu demandata est jurisdictione? Et verior est sententia affirmativa, l. 1. ubi gl. ff. de judic. Diff. Azo in l. 1. num. 7. C. de jurisdictione. Cyn. in l. si quis, in consensu, num. 15. C. de Episc. aud. Zas. in l. 15 ff. de jurisdictione. quorum sententia in ord. Camer. Imp. est approbata, p. 2. tit. 4. §. Zum vierdten/te. vide Myns. 2. obl. 5 2 Gail. 1. obl. 33. num. 3.

V III.

Aggredimur nunc ad res publicas, (a) inter quas refero, quæ ad Rempublicam pertinent, vel jure opportunitatis & defensionis, vel jure patrimonii. Prioris generis sunt fora (b) theatra, (c) stadia, (d) muri (e) porta, (f) & si qua sunt similia. (g)

(a) Pluribus enim de magistratibus agere, propositi mei jam non est. Interim tamen, qui plura de iis legere cupit, adeat Dn. Scip. Gentil. tract. de jurisd. & Vult. 1. J. R. 6. 12. 13. 14 & 15. ubi de magistratib. tam summis, quam inferioribus, eorumq; officiis, jurisdictione, dignitate, ut & muneribus ab illis injunctis latè differunt. (b) Juxta hæc & continentes sunt carceres P. Gregor. 2. de Repub. 7. quos violenter effringentes capite puniuntur. l. 1. ff. de effractoribus dummodò carceres sint summi Wesenbec. in ∞ . ff. de effract. Diff. Damhaud. c. 18. prax. criminal. Quod procedit, etiam si incarceration in debite facta fuerit, l. in eos. 13. ff. de custod. & exhib. reor. Damhaud. cit. loco. Diff. Bartol. in l. vis eius. C. de probat. alleg. à Wesenbec. cit. loco. (c) Horum nostris temporibus nulla ferè haberi solet ratio, si credimus Fr. Partitio 8 de instit. Reipub. 14. Veteres autem putârunt, multitudini nihil gratius præstari posse, quam fabulas dare & specta-

Spectacula ac ludos exhibere Patrit. eit. loco. Vnde Theodo-
 sius rex Symmacho valdè commendavit theatrorum Ro-
 manorum reparationem & fulcimentum, apud Cassiodor-
 lib. 4. var. Quod si verò adhuc ludos exhibere, volumus, ca-
 veamus oportet, ne quod ad honestæ delectationis usum
 inventum est, ad abusum & morum corruptionem conver-
 tatur. Quæ de re pulchrè differit Tertull. Cypri. libb De spe-
 ctac. & novissimè P. Gregor. 2. de Repub. c. 11. n. 4. (d) Stadia
 sunt, in quibus homines equiq; currunt, ubi cum dubitatur
 uter prior ad stadium pervenerit omnibus ex æquo currèdi
 denuò potestas faciendâ. v. Vasq. c. 90. cõtrov. n. 1. cum seqq.
 & c. 91. n. 5 cum seqq. & c. 92. Aliàs cuius equus prior ad me-
 tam pervenit, is victoriam reportat, nisi ipse in medio deci-
 derit Vasq. d. c. 91. num. 1. cum 3. seqq. (e) Muros sanctos esse,
 Gaius in l. 1. ff. de rer. divis. scribit. Sunt enim quodammodo
 divini juris d. l. 1. Vnde apparet, non eam tantum esse ratio-
 nem quam adfert Accurs. ad d. l. 1. cur muri dicantur sancti,
 quia videlicet Sancita sit in eorum violatores pœna capitis.
 Ex hac enim ratione & monetæ sanctæ essent, cum in ea-
 rum falsarios & adulteratores non minus constituta sit ca-
 pitis pœna. l. 1. C. de falsa moneta: Sed & eam quod quo-
 dammodo divini juris sint, vt rectè animadvertit Gilber.
 Regius. 2. c. 4. Porro Pomponius in l. ult. ff. de re-
 rùm divisione, si quis, inquit, violaverit muros, capite pu-
 nitur. Hoc de muris cujuslibet alterius civitatis, quam
 Romanæ intelligendum esse vix crediderim Bartol. in d. l.
 ult. Clar. 5. sent. quæst. 68 num. 25. Rol. à Valle, vol. 2. conf. 8.
 Diff. Gœdd. in l. 5. num. 17. & 18. ff. de Verb. Signif. Sunt qui-
 dem & in municipiis muri sancti l. Sanctum. 8. §. in municipi-
 piis. l. ff. de rer. divis. At certè & bona municipiorum dicun-
 tur publica. l. inter publica. 17 ff. de Verb. Signif. nihilominus
 tamen si quis civitatis alterius, quam Romanæ bona subtra-
 xerit, non punitur ex L. Julia pecularis, quæ ad versus eum.

qui civitati Romanæ quid subripuit, constituta est, sed pœ-
na furti. Atque ita contrarietatem, quæ videbatur esse in-
ter Marcianum in l. 4. §. ult. ff. ad L. Jul. pecul. & Papinianum
in l. ob pecuniam. 83. ff. de furt. tolli posse, cum Accursio in
d. l. 4. & P. Gregorio. 32. Sytagm. 19. n. 1. puto. Diss. Alc. 1. dis-
punct. 3. Aliter Duaren. P. Faber & Forner. referente Go-
thofr. in d. l. 4. Huc referri potest nobilis quæstio: Num
destructis mœnibus privilegia civitatis pereant: Distinguen-
dum autem hîc est; aut destructa sunt mœnia ab hoste, aut
propter delictum civitatis. Priori casu privilegia nullatenus
amittuntur. Nam civitas adhuc intellectu quodam, sine
ullo corpore materiali vivit, ejusque anima sine corpore ex-
tat Bald. in margar. sua in verb. ciuitas. Quò pertinet, quod
Pompejum, cum ducentos Senatores, & meliorem civitatis
partem, vrbe secum eduxisset, Cæsariq; mœnia & tecta reli-
quisset, exclamasse ferunt, Rempublicam scilicet sine parie-
tibus consistere posse. Nec enim jura civitatis in mœnibus &
tectis urbis, sed in forma internæ ordinationis consistunt, ut
ex Dione & Bodino scribit Kirchner. disp. Polit. 1. coroll. 8.
lit. b. Posteriori verò casu civitas mori dicitur Bald. ad tit. de
pace constant. in verb. Imperialis. num. 8. Ideoque etiam
omnia privilegia amittuntur Innoc. in c. cum ex injuncto.
num. 2. Extra de novi op. nun. etiam si muri reædificentur &
restaurentur Bellon. cons. 1. Quod intelligo si absque supe-
rioris consensu reædificentur. Ut enim absque huius con-
sensu civitas muniri nequit (quod maximum dominationis
arcanum sapere videtur Arnoldo Clapmario, lib. 3. de arcan.
Rerumpub. c. 7.) l. sacra loca. 9. §. muros a. & ibi glos. in verb.
nec reficere. ff. de rer. divis. ita neque destructi muri reædifi-
cari Bald. in l. si vt proponis. 2. n. 1. C. de nupt. Quod si verò
superioris voluntas accesserit, dicendum puto, amissa privi-
legia recuperari. Videtur enim tunc mortua civitas ani-
mam recipere, & quasi resurgere. vide Andr. Gail. 2. obs. 61.

(f) Quæ

(f) Quæ etiam inter res sanctas referuntur. l. 1. ff. de rer. divis.
(g) Videatur omnino. P. Gregor 2. de Repub.

IX.

*Jure patrimonii ad Rempublicam pertinent
res fisci. Est autem fiscus propriè ærarium Prin-
cipis, (a) in quod multa & pœna damnatorũ, (b)
aliaque de quibus in c. un. quæ sint regalia, (c) in-
feruntur.*

(a) Rectè dicitur ærarium Principis. Est que distinctum à patrimonio Reipublicæ arg. l. 72. in fin. de contrah. empt. l. 3. §. 8. ff. de jure fisci. Ræuard. 4. var. 4. Quomodo, igitur, inquis, in thesi dicitur, res fisci pertinere ad Rempublicam? R. licet res fisci propriè ad Principem pertineant; tamen ad eum non ita pertinent ut patrimoniales, quas habet Princeps ut Nero, vel Antoninus. Sed pertinent ad Principem, ut Principem, ratione scilicet Imperii seu Reipub. cui præest. Vnde non revera & planè propriæ principis esse dicuntur, sed quasi propriæ & privatæ, l. 2. §. 2. ff. ne quid in loco publ. l. pacta conventa, §. 1. ff. de contrah. empt. Sunt igitur res fisci magis publicæ & ad Rempub. pertinentes, quam privatæ & propriæ principis, clariss. Dn. Præcept. Scip. Gentil. lib. 2. de donat. int. vir. & uxor. c. 2. per l. 1. ff. de publ. l. inter. ff. de Ver. Signif. (b) c. un. quæ sint regal. Ut autem multa à pœna differat, docet clariss. Dn. Præcept. Scip. Gentil. in disput. de regal. thes. 124. Hic quæri potest: An pœna in eum, qui album prætoris corruerit statuta in l. 7. ff. de jurisd. ad fiscum pertineat? Ita vult Zas. in w. si quis jus dic. non obtemp. Sed Duaren. in l. 25. §. ult. ff. ad S. C. Syllan. & Wesenb. in w. n. 13. ff. de jurisd. putant eam inter fiscum & actorem esse dividendam. Ego eam soli actori tribuendam existimo, per ea

quæ differit Joh. Goedd. ad l. 12. in pr. n. 15. & seqq. ff. de V. S.
(c) Ad quod videantur, Borch. & Sixtini comm. & magnifici
Domini Prorektoris & Præceptoris nostri Scip. Gentil. de
eo habita disputatio.

X.

*Coronidis loco de thesauro addo: si inventus
fuerit in loco religioso publico, dimidium inven-
tori, & dimidium fisco competere: Quod si verò
in loco religioso proprio inventus fuerit, penes
inventorem totum jure remanere.*

De priori casu accipio constitutionem Divorum fra-
trum, relata à Callistrato in l. non intelligitur. 3 § penult.
ff. de J. fisci, & Fridericum I. in c. un. quæ sint regal. De poste-
riori verò casu Hadriani sententiam à Justiniano in § the-
sauros. J. de rer. divis. approbatam. Dominic. Arum. exercit.
Justin. 4. th. 18. Atq; ita sibi concordantes redduntur Impp.
quos tamen nulla subtilitate conciliari posse putavit Egui-
nar. Baro ad d. §. thesauros.

*Et hac pauca in presentiarum de jure publi-
co posuisse sufficiat: Omnia enim hic con-
gerere non vacat.*

SOLI DEO GLORIA.

AD

A D

HUMANISSIMUM. M AT QVE
doctissimum Dn. Respondentem, amicum
& commensalem suum sua-
visimum.



ST insignis honos celebri de stemmate natum
Nec non posse pios commemorare patres.
Gloria sed maior semper vestigia celsa
Pectore toto (me iudice) quærere auum.
Extulit eximium præsignis fama parentem,
Qui fuit Aonij portio magna chori.
Hunc gemit alma Themis, Peithô, defletq; Thaleia
Hunc luget Clio, fletq; Minerua potens.
Hunc quod posteritas celebret, quoq; fama superstes,
Ingenium, virtûs, vita, Themisq; facit.
Es verè dignus nunc omni munere laudum,
Quod referas mentem, chare Ruprechte, patris.
Te Phœbus nimium primis adamavit ab annis
Et fouit proprio Graia Minerua sinu.
Non tibi desidiæ sunt cordi, Murcia languens
Viua ingenium non hebetare valet.
Vnica Mœonias tibi visere cura Camœnas,
Et benè scrutari scita verenda Dices.
Instans Cæsarei sinuosa volumina iuris
Tractibus immensis nunc superare studes
Themata civiles latum dissecta per agros,
Nunc das iuridico discutienda gregi.
Hæc ars civilis meritò præfertur vbiq;
Quâ sine Lex, Rex, Grex, iuraq; sacra iacent.
Ergo virge Themidem, lepidas sectare Camœnas
Militiæ capies sicq; brabea tuæ.

Michaël Wendlandus G. Pomo.

2

P. 264

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and is difficult to decipher due to its lightness and the age of the paper.]



Altdorf, Diss., 1599-1633


ULB Halle 3
005 607 582



TA → OL

WMA







THESES
De
RE PVBLICO.

D. O. M. A.

Permissu superiorum

PRÆSIDE

Clarissimo & Consultissimo Viro

CUNRADO RITTERS-
SIO JC. ANTECESSORE
& Consiliario Norico, Præceptore
suo observando

Publica disquisitioni subjecta

GANGO-HEINRICO Ruprecht,
Suinfurtensi Francone.

*Academia Altorphina auditorio ICtorum
Welseriano.*

Ad diem XIX. Martii,

ANNO

M D C X I,

ALTORFII,
apud Cunradum Agricola.

79.
M
1671 2

[3]

3

